

unde Basilicæ nomen datum, Sancta Maria de Portiuncula; vel Sancta Maria de Angelis, ob Angelicarum ibi visitationum frequentiam. Hinc locum vir sanctus amavit (obseruat S. Bonaventura cap. 2.) præ cæteris mundi locis. Hic etenim humiliter caput, hic virtuosè profecit, hic feliciter consummavit; hunc in morte fratribus, tanquam Virgini charissimum, commendavit. Hoc certè erga Virginiem Prædium à Protoparente hæreditarium Minoribus suis relictum, retentum extat tenaciter ab ipsis amplificatum & quoquoaversis spatium, non absque ingenti Marianæ gloriæ cumulo. Nec mirum, cum ipsa Dei Mater singulari cura, & amore præcipuo Religiosam hanc complectatur Familiam, cujus institutio accepta referri debet eidem Virgini Mariæ: quæ olim à S. Dominico visa narratur coram ipso Filio Jesu ternas manu lanceas vibrante ad perdendum mortale genus. Placatus tandem ipse est, oblati ei à Matre duobus sibi famulis addictissimis, probis, ac fidelibus, qui in mortalibus, ad penitentiam revocandis strenuam operam navaturi essent: hi erant S. Franciscus, & S. Dominicus, in cuius vita lib. 2. cap. 1. apud Surtium die 5. Augusti id refertur.

§. VII.

Franciscana Familia, eximia Mariana immunitatis vindex.

1806 Sed enim verò, cum plantatio Rosa in Jericho præclarum extet (ut jam vidisti) Marianæ immunitatis, seu purissimæ Conceptionis emblema, signatissimè S. Virgo se ipsam deprædicat in Franciscano Ordine exaltatam, quasi plantatio Rosa in Jericho: ut quæ à sæculo præsertim XIV. ad nostram usque ætatem, hanc sibi Familiam elegerit præcipuam, ac maximam immaculati sui Conceptus vindicem. Quis neget? Unus pro multis locupletissimus testis in medium prodeat eo sæculo florens Joannes Scotus, præstantissimus Theologus, cognomento Subtilis, Hibernorum gloria, Seraphici Ordinis decus: cujus justum hic panegyricum instituerem, nisi Hugonis Cavelli, eximii ejus statorem, doctique Scholiastis eruditissima Apologia meam præverisset diligentiam. Eam operibus Scoti recens editis præfixam consuluisse juvabit, præsentaneum certè antidotum adversus subtilis Doctoris obtractatorem. Ademda præterea vita illius ab eodem Hugone accuratè conscripta, maxime cap. 3. & 4. ubi eximias Religiosissimi Patris virtutes expendit, exactum paupertatis studium, dignam Francisci alumno modestiam, humilitatem, sui que metipsius despicientiam, excellentiam divinarum rerum contemplationem, ad integrum omnino diem, & eò amplius extractam. Quibus quidem absolutissimis virtutibus id promeruerat Joannes, ut ad ecclastes abreptus divinas, quas memorat S. Bernardus Tom. 4. Sermon. 1. omnem in cælis conversationem suam contulisset. Certè dum sublimi Raptu duntius vir iste præclarus positus, ab imperitis, in quos fortè inciderat, obitum potiùs putantibus, imprudenter elatus obiit, cum annum attigisset 34. mensuram scilicet ætatis plenitudinis Christi, anno 1308. Colonia Agripinæ, cum Colonensem condidisset Academiam, ac celebrem ibidem de immaculata Virginitate Conceptione disputationem habuisset, in-

Scoti præconia

signemque de adversariis peperisset victoriam, ut scribit Rodolphus l. 3. Historiæ Seraphicæ. Igitur hic subtilis Doctor tantus, ac talis B. Virginis immunitatem em apud Gallos ferme la-belactatam, arguendo, disputando, scribendo, defendendo restituit, atque ubique gentium eximio in Deiparam studio inflammatus propagavit. Defensionis porrò, ac restitutionis auspicia Virgineo miraculo consecrata majores illustribus consignarunt Historiæ monumentis, quæ Franciscana Tabularia religiosissimè conservant, nullis unquam posteritatis injuriis obliteranda. Ex his nos hanc describimus narrationem.

1807 Cum in Parisiensi Academia ardens flagret controversia de Conceptu Virginis immaculato jam diu agitata magna Doctorum contentione, qui in celeberrimum illud Litterarum Emporium ab universa ferme Europa confluerant; cumque aliis aliorum opinionem non fugillantibus modo, sed gravissimis censuris proscindentibus magis in dies, magisque gliscere cerneretur, periculumque esset, nisi de remedio efficaci provideretur, in grave aliquod Christianæ republicæ incommodum discordiam evasuram: providit oppidò S. Romana Sedes, cui Clemens V. Papa Maximus insidebat, uti legatis Apostolicis adstantibus publica in Parisiensi Gymnasio institueretur disputatio, in qua argumentis utriusque opinionis maturè perpenfis, decerneret tandem Academia, quidnam potius videretur in his scholis docendum, sacra Scripturæ, antiquisque Doctoribus ac Theologicis rationibus magis contentaneum, ea scilicet senatorio decreto in posterum profulgata opinione, quam Academia ipsa alienam conferret. Indicta igitur disputatio præstantiores quosque utraque Dominicanorum & Franciscanorum Patrum Familia, quos celebrioribus ubique noissent Theologiæ Proceres, undecumque conceiverunt propriæ sententiæ propugnatores. Seraphici ex vicina Anglia, Oxoniensique gymnasio Joannem Scotum evocant, quem Anselmiano utique laste illo sua iustissimo alitum, Marianæ immunitatis acerrimum cognorant assertorem, ac vindicem. Advolat strenuus Antagonista (sic etiam Thomistæ vocant) arduo quidem certamini, imò glorioso cælitus triumpho destinatus. Nec tam ingenio munitus validissimo, multovè cataphractus rationum, ac testimoniorum apparatu, etsi his etiam fortissimis armis strenuè seipsum instruxisset; quam Deiparæ Virginis, cujus honorem tueretur, unico sultus præsidio.

1808 Nam cum ad disputationis stadium pugnaturus procederet, Beatissimæ Virginis Dei Matris imaginem ad Sorbonici Collegii valvas in genua provolutus adorans, supplicat enixè hisce verbis implorat: Dignare illustre miraculum Deiparæ. me laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos. Annuit de sublimi cælestis Regina, annuendo verò sacra ipsa imago acclinauit quidem defensori suo caput augustum, eoque Virginis nutu benignissimo spem fecit victoriæ certissimam. Haud mora, eo confisus pignore in arenam profluit non Goliathum non ille universam timens Philisthæam, sive adversum illum David, sive contra hos invictus Samson extiturus. Quid tam multa moramur? Stetit medius fortissimus pugil; ducentis Achaicis quidem oppetitus est telis; ducentis adversariorum validissima exceptis argumenta: quaque

Scotus pro pura Maria Conceptione egregiè pugnavit.

Parisis publicè instituta Disputatio pro Mariana immunitate.

Scotus strenuus Maria Antagonista.

illustre miraculum Deiparæ.

Scotus ducenta exceptis argumenta: quaque

argumenta, quaque pollebat prompta ac firma memoria, quoque ardebat acri & perspicaci ingenio, & universa nec mutata vocula verbatim reddidit, & nodosa licet atque explicata expeditissimè, subtilissimè, aperitissimè dissolvit. Stupuit Lutetia ingeniorum prodigium, mirata test Theologiæ portentum, reverita sapientia miraculum; Scotum subtilem præclamat Doctorem (nam eà occasione id cognomen partum, constans docet traditio.) Coguntur igitur Doctorum comitia, communique omnium suffragio celeberrimum illud decretum Parisiensis Academia constituit, quo Deiparentis Virginis Mariæ immunitatem univervis Doctoribus edocendam, atque in posterum pro virili tuendam præscriberetur; qui secus fecisset, non illi ad statos Academiae gradus, honoreque litterarios aditum futurum. Porro sacra Virginis imago, quæ Scotum ad disputationem euntem tanto collustravit miraculo, eodem inclinata gestu extra Architecturæ canones, hodie extat, propriam testata immunitatem strenuè ab Scoto, & in Scoto ab universa Familia Seraphica propugnata.

1809 Testes locupletissimi sunt Franciscana Traditio, Seraphica Tabularia. Ex his hausere Franciscus Sosa Episcopus Osmensis in Censura ad librum Gundisalvi Luceri de Conceptione B. Virginis, Joannes Pineda in Advertentiis ad Privileg. Joannis Regis Arragon. pro Conceptione, Joannes Lezana in Apologetico pro Conceptione cap. 15. Gregorius Ruisius in vita Scoti præfixa Comment. in 4. Sent. Bernardinus Buisius in Officio de Concept. approbato à Sixto IV. lect. 4. Hugo Cadelus in Scoti vita cap. 3. Franciscus Torrensus libro 1. de Concept. capite 4. qui addit eandem Virgineam imaginem in Regio Parisiensi facello magnà ad nostram usque memoriam religione cultam servari. Vide etiam Christophorum Morenum de B. V. munditia & Perbaltum libro 4. stellarum part. 1. art. 3. Hæc præ oculis habere, operæ pretium sit, ut subinde clareat, quàm fuerit gloriosè exaltata Deipara Virgo in Seraphica Familia, vel à suæ institutionis initio, quasi plantatio Rose in Jericho.

1810 Scoto suo tenacissimè semper adhæsit universa Franciscanorum Religio. Numerabo cursim ex ipsius alumnis nonnullos. Petrus Aureolus Cardinalis eminentissimus libellum edidit de Conceptione immaculata, cujus meminit Bustos de Concept. Sermon. 4. citaturque à Joanne Capreolo 3. d. 3. Antonius Andreas Scoti auditor in 3. d. 3. Franciscus de Mayron Scoti etiam auditor in 3. d. 3. art. 3. Cujus extant Sermones 3. de pura Conceptione. Guilielmus Okam, quem citat Bustos Sermon. 4. de Conceptione. Monaldus Archiepif. Bonaventini in 3. d. 3. a. 1. & sermone, quem de pura Concept. scripsit. Nicolaus de Lyra ad illa verba Lucæ 1. 35. Spiritus S. superveniet in te. Landolphus Neapolitanus in 3. dist. 3. Hugo de Castro novo in 3. dist. 3. Armanus in Tractatu de Concept. quem citat Bustos Sermon. 4. Joannes Vitalis in Defensorio B. Virginis. Robertus Lincolnensis in 3. dist. 3. Joannes de Basilea in 3. dist. 3. Gerardus Patriarcha Antiochenus in 3. dist. 3. Alexander Papa V. de quo Bustos in Sermon. 4. Sanctus Bernardus Senensis in Tractatu de B. P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

argumenta, reddidit, ac dissolvit.

Subtilis Doctor præclamat.

Auctores memorata Historia.

Scriptores Franciscani Marianam propugnantes immunitatem.

Virgine Sermon. 4. & Tom. 1. Sermon. 51. de Salutatione Angelica cap. 1. & Tom. 2. Sermon. 52. feria 4. post Resurrectionem art. 1. 2. & 3. & Tom. 4. Sermon. 49. feria 3. de Resurrectione. B. Joannes Capistranus in Tractatu de pura V. Conceptione. Joannes Bassoles in 3. dist. 3. quæst. 1. Sixtus IV. summus Pontifex in una, & altera Extravagante, quam edidit pro immunitate Virginis. Bernard. de Bustos in suo Mariali per totas undecim Conciones & in Officio de Concept. quod speciali suo decreto probavit Sixtus IV. Perbaltus Thomefuar in Pomcerio lib. 4. Stellarum Mariani per totum. Petrus de Aquila dictus Scotellus in 3. dist. 3. in singulari quæstione. Alexander Nequam 3. dist. 3. quæst. unica de pura Conceptione. Baptista de Ferraria in 3. dist. 3. quæst. 1. Henricus Harpus in Tractatu de mystica Theologia lib. 2. Guiliel. Borrillon. in 3. dist. 3. quæst. 1. Alius etiam dictus Borrillon in 3. dist. 3. Franciscus Lycheus Generalis Minister in 3. dist. 3. Franciscus Titelmanus sæpè contueur Virginis immunitatem in suis operibus, maxime in Cantica Salomonis. Franciscus Petri ad Boves Sermones duos edidit de Conceptione. Nicolaus de Nissa in duobus Sermon. de eo mysterio, & in sent. Tractatu 3. part. 1. quæst. 2. Oliverius Mallard. Generalis Minister Sermon. unico. Thomas Illyric. de Auxino Sermon. 3. de Incarnatione. Franciscus de Osima in duobus sermonibus. Domin. Pico Claus. 3. Sermon. 23. de Prodigio part. 1. Tartaretus in 3. dist. 3. quæst. 1. Ludov. Caravajalius in acclamatione expositoria approbata ab Academia Parisiensi, & Compluteni. Cornel. Musius Episcop. Biontinus in cap. 5. Epist. ad Romanos. Michael Hilaret. in sacris Enneadibus Hom. 30. de pura Concept. Franciscus Fovardentius in suis operibus. Mitto innumeratos alios, qui è cathedra, è pulpito, & ubique semper immaculatam Virginis Conceptionem studiosissimè vulgarunt, ut qui Deiparæ apprime studiosi.

1811 Si verò obiicias; Bonaventuram Seraphicæ Familiæ, imò totius Ecclesiæ sempiternum decus, perspicuè opinatum in 3. dist. 3. quæst. 2. Mariam à peccato originali minime fuisse immunem; Respondeo, illum seniore jam factum, & in sanctis Patribus magis verfatum, oppositum expressè docuisse. Sermon. 2. de Beata Virgine ad finem Tom. 3. & Sermon. 1. & 3. & in Opusculo de Contemplatione ad finem Tom. 6. & in vetusto Codice Sermonum de Sanctis ante centum annos excuso, Sermone de Annunciatione. Ac demum, dicendum de S. Bonav. quod de sancto Thoma, sancto Bernardo & aliis diximus supra.

Obiicias nobis deinde Alexandrum Alessem, Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis Præceptorem, qui 3. dist. 3. quæst. 9. contra immunitatem Marianam distinctè decrevit. Respondeo, eum non ita huic sententiæ adhæsisse, ut tandem, re melius inspectâ, in oppositam non disceserit: ut ex ejus scriptis claret, & ex prælustris miraculo, cujus ipse meminit in Opere, quod de Beata Virginitate laudibus edidit, Mariale inscriptum, atque in sex libros divisum, cujus initium est, Sancta, & superlaudabilis semper Virgo Deigenitrix Maria ab æterno prævi-

Neque obiicit Seraphicus Bonaventura.

Neque Alexander Ha-lensis.

prævisa, &c. In libro ergo 3. capite ultimo, quod est de Conceptione Virginis, & incipit, *Fiat lux*, probat illam absque Originali conceptam; & postquam ad illud argumentum respondit ductum à communi viri, & fæminæ propagatione, quam necessariò consequi solet peccatum prolis originale, sic scribit:

Illustré miraculum, quo Helenis Mariæ Immunitati subscribit.

1812. Ego ipse, qui hæc scribo, dum publicè legere, in Theologia vehementer erravi, asserendo quòd dies Conceptionis Beate Mariæ celebrandus non esset. Unde & quolibet annis eà die legere decreveram, sicut etiam in profestis diebus consueveram. Sed protestor solemnissime, quia repente morbo vexatus fui Oxonia singulis annis illà die, ita ut nullo modo susceptum magistræ officium eà die exequi valerem, sive casus ageret, sive divina voluntas, quisque considerare potest. Sed & viri prudentes, qui me tunc temporis in Scholis audierunt, me secretò corripuerunt, eò quòd impugnare vel le videbar diem festum celebrantes Conceptionis Beate Virginis. Ego verò doceo, assero & credo, illos bene vidisse, & potius in hoc commendandos fore, qui piè & devotè sapè dielium festum celebrare satagunt in honorem perpetua Virginis Mariæ. Hæc ille. Nec solum in eo libro, sed etiam in Sermone de Conceptione idem repetit miraculum Alensis, ut refert Busto Serm. 9. de Conceptione part. 3. Sermo Alexandri incipit: *Tota pulchra es, &c.* Ubi affirmat, *Teste sole justitia, arripuit me tunc repentinus morbus, qui eadem die, & annis singulis me excæcavit.*

Sixtus IV. Bustus.

1813. Hæc copiosius voluit explicata Sixtus IV. Pontifex Maximus, dum Officium Conceptionis à Bernardino Busto conditum probavit, septimique diei lectionem 4. hanc esse voluit. *Dum Magister Alexander de Ales adhuc secularis existens in universitate legeret Parisiensi (Oxonienti) nolletque immaculatum Beate Virginis celebrare conceptum; volens illum gloriosa Deigenitrix Maria ad sanam revocare sententiam, dum quadam Conceptionis die prædictus Doctor suis legere cepisset discipulis, tantis illum percussit infirmitatibus ut omnibus veluti mortuus videretur. Cum autem Alexander in sua permanentis sententia, Beate Virginis innocentiam adhuc confiteri despiceret, alio quoque anno, dum in eadem Conceptionis die perlegeret, easdem protinus infirmitates incurrit; sicque frequentibus diebus in eodem festo in horribiles annuati infirmitates incidebat. Quam ob rem à suis monitus discipulis, ne gloriose Virg. intemperatam Conceptionem impugnaret, ad se ipsum in eadem existens infirmitate reversus, devotè petivit Regine cali vovendo promissit, si optatam illi dignaretur asserre salutem, pulcherrimum se aliquod opus ad suæ gloriam Conceptionis editurum. Emisso igitur voto, ad pristinam protinus rediit sanitatem. Tanti ergo non immemor beneficii, egregium volumen mellisluæ Conceptionis inscripsit, immaculatumque Beate Virginis conceptum multis comprobans rationibus, totum fuisse falsum prædicat, quidquid contra illibate Virginis Conceptionem suis inquam operibus affirmavit. Tantum ille. Videndi etiam hac de re Busto Sermone 4. de Concept. 3. part. Lombardica Historia capite 188. Perbaltus in Rosario Theologico, verbo Conceptio. Antonius Cucarus in Elucidario de Conceptione part. 2. Joannes*

Bachon 4. dist. 2. quæst. 4. articul. 8. *Maurit. de Villa probata Sermones 5. coronæ B. Virginis.*

1814. Circa quæ pauca animadvertenda sunt. Primum, hoc miraculum non in Parisiensi Academia, uti legitur in Busto & Cucaro, sed in Oxoniensi contigisse, uti Alexander ipse testatus est. Secundum, volumen hoc diligentissime in Tolofanæ Ecclesiæ Cathedralis Choro catenula alligatum multos per annos à plerisque visum, ut produnt *Mauritius Dominicanus citatus & Perbaltus lib. 4. Stellarii part. 1. articul. 3. Bustus Sermone 4. de Concept. & Guilielmus 3. dist. 3. Tertio observo, meritò Alexandrum gravi morbo percussum, quia Conceptionis festum in Anglia impugnaret, ubi etiam liberum fuisset fidelibus illud celebrare, id tamen à SS. Patribus & Episcopis olim commendatum in tantam provecum esset religionem, ut nimia Alexandri licentia supplicio digna censeretur; eo tamen prout misericordie Matrem decebat, clementissimo, quo scilicet ad meliorem frugem referret, atque ex immunitatis Virgineæ adversario defensorem redderet acerrimum.*

Subtexam hinc duplex aliud miraculum, quo Franciscani nonnulli, à suis nempe degenerantes, Deiparæ immunitatem edocui sunt. Tholosæ Franciscanus Monachus contra Mariæ immaculatum conceptum concionatus, mox à concione ad S. Michaelis sacellum sacris operaturus pergit. Aderat altari sacra B. Virginis imago, quæ ut accedentem Monachum perlenst, indignandum avera vultum (quo gestu hodie perfat) injuriam cæcitare percussit. Auctor *Bernardinus Bustus* in Officio Conceptionis, quod Sixtus IV. P. M. recognovit, probavitque die 3. lectione 5. *Anton. Cucarus* in eo elucidario de Concept. p. 2. *Perbaltus* in Pomærio lib. 4. p. 1. a. 4. qui addit, Monachum voto etiam nuncupato, sententiã recantatã, oculos recepisse.

1815. *Geroldus de Piscariis* Monachus Minorita tempore Clementis V. circa annum 1311. cum adversus Virginis immunitatem vehementius esset concionatus, ad ejusdem sacellum Virginis Missam peracturus perrexit. Jam igitur Hostiam consecratur, atque ecce ipsissima Deipara sacram ad se eripit Eucharistiam, his illum verbis corripens: *Ecquã tu fronte Corpus de me sumpsum fumere vis, frater inique, quod hodie tam verbis, quàm factis ultrò maculasti. Culpam ille è vestigio agnoscit, deflet amarè, atque ad meliorem tuendam Virgineæ immunitatis frugem redit. Reddita mox Hostia. Inde immaculatæ Conceptionis evasit acerrimus propugnator. Statimque à Missa suggestum rursus ascendens egregiam Concionem pro Mariana habuit immunitate, qua palinodiam Doctor recantavit. Auctores sunt *Joannes Vitalis* Cardinalis in Defensorio Virginis Deiparæ, *Perbaltus* in Pomærio lib. 4. part. 1. articul. 4. *Nicolaus Nysus* Serm. 1. de Conceptione, *Auctarium* Historiæ Lombardicæ capite 188.*

## §. VIII.

De Monialium Familia Conceptionistarum ad Franciscanam spectante.

1816. AD Franciscanum Ordinem spectat Monialium Familia Conceptionistarum, ut ex Catalogis Franciscanorum constat; quibus subjecta est, & sub quorum Regula militat à tempore Alexandri V. I. Certè tota hæc Familia miraculis ac revelationibus cœpta, condita, aucta, firmat summo opere puræ Conceptionis mysterium, ostenditque cordi semper illud extitisse Franciscano, & ejus alumnis. Univerfa ab exordio fundationis Historia ad annum 1526. continetur membranaceo optimæ fidei codice, Toleti, ubi totius Ordinis Archicænobium est, magna Monialium religione servato; qui hoc titulo inscribitur: *Historia de initio & fundatione Ordinis, ac Regula Monialium purissime Conceptionis Domine nostræ.* Qua de re videndi etiam locupletissimi testes *Franciscus Gonzaga* in Historia originis Religionis Seraphicæ Franciscanæ part. 1. *Barnabas Montalevis* in Chronico Ordinis Cisterciensis part. 1. lib. 2. cap. 26. *Salazarus* in Chronico Franciscanorum Provincia Castellane lib. 8. *Francis. Torrensis* lib. 1. de Conceptione Virginis capite 14. *Marcus Lisboa* in Chronico Minorum 3. part. libro 8. capite 11. & 12. *Christophorus Morenus* libro de Munditia B. Virginis Mariæ cap. 7. *Franciscus Bivarius* part. 1. Mirabilia Historiarum §. 1. & sequentibus, & plerique alii.

1817. Primò igitur Toletanus Codex Regularem purissimam Conceptionis Ordinem anno D. 1490. divinã fuisse providentiã conditum affirmat, qui ex officio, ex habitu, ex Regula ab Apostolica Romana Sede approbata sanctissimam Deiparæ Conceptionem excolat. Deinde Fundatricem agnoscit Dominam *Beatricem de Silva* Comitissæ Portalegensis D. Jacobi de Silva fororem, uti primariæ nobilitatis, ita eximie sanctitatis fæminam, cujus vitam compendio describit. Auctores proximè dati binas referunt revelationes, quibus Beatricem ajunt ad Conceptionis Ordinem condendum divinitus excitatam. Nimirum Beatrici virginittatis votum concipienti Deiparam quidem Virginem, noto conceptionis amictu, tunica videlicet candida, ceruleaque toga insignem Matriti apparuisse, eamque incredibili lætitiã perfudisse. Inde Toletum proficiscenti duo repente *Franciscani Fratres* sese in itinere adjungere comites, qui omne inferendæ mortis discrimen, quod ipsa aliunde verebatur, oppidò submoverent. Horum alter Lusitanicè affatus, Multarum Virginum Matrem extituram prædixit. Cùm contrà illa excularet, votum de virginittate promissum, neque alio consilio Aulã excessisse, quàm ut se in S. Dominici Toletanum daret cænobium. Rectè, inquit ille; cæterum quæ prædixi, certò succedent; tuarumque silarum fama universum orbem complebit; quin & tuæ inde incrementa gloriæ magna fore cognoscito. Interim appropinquant diversorio; ingredienti cernit, curandis dum prospicit, disquisitione factã, disparuerant. Illa, re attentius perpensã, alterum civem suum *S. An. P. Ildeph. de Flores* in Eccles.

ronium Lusitanum, alterum *S. Franciscum* esse Assinatem, quos observantissime colebat, certò credit.

1818. *Seorsim* cap. 6. Codex ille illustrem explicat Revelationem illam, qua *Beatrix* Ordinem suum à Romano Pontifice Innocentio VIII. jam fuisse approbatum, eadem prorsus hora Toleti rescivit, qua Romæ Pontificiæ ipsa litteræ confirmatrices expediebantur. Revelatio verò in hunc modum est: *Accesserat forsãm Beatrix ad Portam, æconomum de rebus domesticis conventura, cùm ecce Tabellarius magnus veluti exandatis itineribus D. Beatricem Silvam appellans. Inde illa interior: Ecquidnam ipsam? Uti renunties, inquit, adflare Romã hominem, qui certa renuntiet, confirmatum jam esse à summo Pontifice Ordinem Conceptionis. Hic illa lætissime auditis revocat protinus æconomum, qui ibidem opperiebatur, nullorsum degreßus; rogat, curforem illum humaniter excipi, commodeque hospitari. Equenam curforem? inquit æconomus: nullus prorsus huc ad nos Romã, aliundeve gentium. Scilicet factius fuerit strepitus, composita dumtaxat cælestis vox, quæ soli ipsi renuntiasset Beatrici. Mirata illa vehementer, annum, mensem, diem, horam accuratè observans, illo cerè quidem ipsissimo temporis vestigio Romæ fuisse Ordinem à Pontifice confirmatum, manifestè postea comperit, quo nuntius Toletum ad Beatricem relatus. Tabellarium illum haud dubio non alium extitisse credit, quàm Archangelum Raphaelem, in quem Beatrici magna à pueritia fuisset observantia, quàm quotidianis semper fovisset precibus. Itaque lætissima relatum cælo nuntium fidenter, ut certissimum in publicum statim dedit, quem eventus postea comprobavit.*

1819. Cæterum post binos, ternosve menses tantam Beatricis alacritatem obturbavit prorsus, ac fermè exinixit adversus alter nuntius; navigium nempe, quo Pontificia Bulla vehebatur, naufragio periisse, nudos evasisse nautas. Tam immani *Beatrix* voce acerbissime sternata, tantam tristissima jacturam continuã trium dierum collacrymatione profecuta est. Quibus exactis, nescio quid depromptura, arcam dum aperit, obicitur oculis membranaceum involucrum; evolvit; agnoscit Romanæ cuspisiam, ut videretur, Bullæ formam. Miratur nimium insolentiam; dein ut quidem nosset, quidnam rei diplomate contineretur, è vicino S. Francisci cænobio Magistrum Garziam, Quixadam adesse obsecrat, Pontificias, nescio quas, aperturum, & explanaturum litteras. Vix dum Quixada explicatæ membranæ frontem perpexerat, cùm ipsissimam illam esse confirmati Ordinis Bullam obstupuerunt. Pervagata è vestigio universum Toletum fama, incredibili cives omnes lætitiã extulit. Contestatò miraculo, sollemnis instituta est à Templo maximo ad cænobium usque processio, in qua idem Quixada Guadixensis jam Episcopus Pontificio insignis apparatu, miraculosam Bullam argenteo gestavit disco, alternis interim modulantibus Musicis canticum; *Te Deum laudamus.* Peractã Missã, egregiam Episcopus Concionem habuit, qua novi Ordinis rationem explicuit, miraculique magnitudinem exposuit. Bulla